



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. I. Argumenta pro cumulo perfectionum & infinitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

ARTICULUS II.

Quid de cumulo omnium perfectionum, & de infinitate sentiendum.

SUMMARI A.

1. Auctoritates pro cumulo omnium perfectionum.
2. Probationes ex ratione.
3. Fundamenta pro infinitate.
4. Prior sententia ponit magis physicum constitutum quam metaphysicum.
5. Tollit conceptus attributales.
6. Et diverſitatem inter processionem Verbi & Spiritus S.
7. Infinitas est tantum modus essendi.
8. Et reducitur in esse à se.
9. Auctoritates exponuntur.
10. Infinitas in essentia includitur implicitè.
11. Essentia simplicissima in sui constitutione non admittit prioritatem partium.
12. Natura DEI est infinita radicaliter.
13. Incommunicabilitas predicari non sufficit ad constitutum divina essentia.

§. I.

Argumenta pro cumulo perfectionum & infinitate.

1. Cumulum omnium perfectionum Bernaldus de Quirōs loco citato probat primò auctoritate SS PP. qui dicunt primò: nomen *Qui est*, idè esse maximè proprium DEO, & explicare ipsius essentiam, quia imbibit totam perfectionem essendi. Ita Nazianz. or. 38. de Nat. videtur principalis omnium de DEO dictorum nominum esse, *Qui est*, totum enim in se ipso comprehendens habet ipsum esse velut quoddam pelagus substantia infinitum & interminatum.

Dicunt secundo: attributa DEI non minùs essentialiter dici de DEO, quam corpus & rationale de homine. ut S. Anſ. in Monol. c. 16. Dicunt tertio. *Idem esse quodlibet unum illorum* (predicatorum) quod omnia sunt simul, sive singula, ut S. Anſ. 16. Dicunt quarto: per omnes divinas perfectiones æquè responderi ad questionem: *Quid est, DEVS?* uti idem Anſ. l. c. 15. *Si queratur quid sit ipsa summa natura, de qua agitur, quid verius responderetur, quam iustitia?* Et infra. *Quid quid eorum de illa dicatur, non qualis, vel quanta, sed magis quid sit monstratur.* Sed per nihil essentia extraneum responderetur ad questionem, *quid est?* ergo omnes divinas perfectiones pertinent ad constitutionem essentia divina.

2. Ex ratione fundamentum est secundò: significativum formalissimum DEI exprimit pluralitatem omnium perfectionum; ergò DEUS non per unam solam, sed per omnes debet constitui. Tertio; Essentia DEI est formaliter infinita in omni genere: ergò ad sui constitutionem requirit omnes omnis generis perfectiones. Antec. videtur certum, eò quod essentia DEI sit optimum, quo majus & melius excogitari non potest. Quarto: Non est inconveniens, ut plura concurrant ad constitutionem unius essentia, quantumvis unum sit altero nostra ratione posterius; quemadmodum ad constitutionem compositi physici concurrunt materia & forma, & ad constitutionem discursus tres mentis operationes.

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. 1.

Pro infinitate ratio, est primò: quod Essentia divina secundum se est infinita, sed non est infinita, nisi per infinitatem: ergò infinitas convenit naturæ divinæ secundum se.

Secundò: Natura DEI cum debeat ipsum distinguere ab omni creatura, debet constitui per predicatum incommunicabile creaturis: sed tale predicatum est infinitas.

§. II.

Vtraque sententia rejicitur.

VERùm neutra sententia admitti potest. Et prior quidem physicam potius quam metaphysicam constitutionem tradit divina essentia, neque potest subsistere: Primò: quia constitutum metaphysicum divinæ essentia debet esse prima radix attributorum & operationum; sed cumulus omnium perfectionum non potest esse prima radix illorum, quippe in quo eademmet attributa & operationes continentur. Adde, quod inter ipsa attributa datur ordo virtualis, secundum quem aliqua sunt & concipiuntur nostra ratione aliis posteriora; quomodo ergò ad primam radicem pertinere poterunt?

Secundò, si qualibet perfectio pertinet ad formale constitutum essentia, jam non est ratio, cur una perfectio magis dicatur attributalis quam alia: si quidem ex hoc dicitur attributum, quod superadditur essentia; sed si est de ipso constitutivo essentia, non superadditur essentia; ergò.

Tertio, non esset major ratio, cur Verbum procedens per intellectum, procederet in similitudinem naturæ, eaque de causa ipsius processio foret generatio, quam Spiritus S. procedens per voluntatem; cum non minùs voluntas, quam intellectus pertinerent ad intrinsecam constitutionem divinæ naturæ.

Contra infinitatem facit primò, quod infinitas est modus tantum essendi naturæ increatae, sicut finitas est modus essendi naturæ creatæ; ergò sicut ista consequitur, non autem constituit naturam creatam; ita etiam illa non constituit, sed consequitur naturam increatam.

Secundò, quia, ut infra videbimus, infinitas reducitur in esse à se & interceptum, tanquam in rationem à priori, & consequenter non est primum constitutum.

Tertio, quia non exprimit gradum vitæ divinæ, quod tamen pertinere ad constitutum naturæ sup. dictum.

§. III.

Solvuntur opposita rationes.

AD auctoritatem PP. pro cumulo omnium perfectionum Resp. Eos vel in physica acceptione divinæ essentia, vel de implicita & radicali contentia perfectionum fuisse locutos, atque ita perfectio essendi explicita per nomen *qui est*, si physicè accipiatur, formaliter imbibit totam perfectionem essendi: sive metaphysicè; radicaliter & implicitè tantum. In quo sensu etiam D. Anselmus cit. c. 15. & 16. loquitur.

D

Ad